

77. Consuetudini dei Galli.

In reliquis vitae institutis ab reliquis Galli diffērunt, quod suos liberos, nisi cum adolevērunt ut munus militiae sustinēre possint, palam ad se adire non patiuntur filiumque puerili aetate in publico in conspectu patris adsistēre turpe ducunt. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio (= calcolo) habetur; uter eorum vitā superavit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum (precedente) temporum pervēnit. Viri in uxores, sicut in liberos, vitae necisque habent potestatem; et cum pater familiae, illustriore natus loco, decessit, eius propinqui conveniunt et, de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem (indagine) habent, et, si quid in eas compertum est (accertare), igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omniaque, quae vivis cordi fuerunt, in ignem infērunt et, iustis (regolari) funeribus confectis, unā cremantur. Si quis quid de re publica a finitimis rumore aut famā accepit, ad magistratum desert neque cum quo (= aliquo) alio communicat, quod saepe homines temerarios falsis rumoribus terreri et ad facinus impelli cognitum est.

Da CESARE

78. Alessandro Magno.

Decessit Alexander annos tres et triginta natus, vir supra humanam potentiam magnitudine animi praeditus. Prodigia magnitudinis eius ipso ortu apparuere. Nam eo die, quo natus est, duae aquilae perpētes (= ininterrottamente) supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperii, Europae Asiaeque, praeferentes. Eodem die nuntium pater eius duarum victoriarum accepit, alterum belli Illyrici, alterum certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat, quod omen universarum terrarum victoriam infanti portendebat. Puer acerrimis litterarum studiis eruditus fuit. Exacta pueritia, per quinquennium sub Aristotēle doctore, inclīto omnium philosophorum, crevit. Accepto deinde imperio, regem se terrarum omnium ac mundi appellari iussit tantamque fiduciam sui militibus fecit (= incussit), ut illo praesente nullius hostis arma timuerint. Itaque cum nullo hostium umquam congressus est, quem non vicerit, nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit, nullam gentem adiit, quam non calcaverit. Victus denique ad postremum est non virtute hostium, sed insidiis suorum et fraude civium.

Da GIUSTINO